



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER
EOBANVM || HESSVM.||**

Hessus, Helius Eobanus

Lipsiae, 1557

VD16 B 3198

Psalms X. Vt quid Domine recessisti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

Surge, ueta, ne forte hominum furor impius ultra
 Inualeat, uires exuat ipse suas.
 Debita quæq; ferant te iudice præmia, gentes,
 Ante tuam faciem quod meruere ferant.
 Præfice doctorem quo gentes erudiantur,
 Ut se mortales scilicet esse sciant.

Precatur ut
 Deus impietatem
 hominum tollat,
 mittendo uerbum,
 suum & pijs doctores.

PSALMVS X.

Vt quid Domine recessisti.

ARGUMENTVM.

Hic Psalmus titulo caret. Est autem precatio Ecclesiæ contra Antichristum, uastantem Ecclesiam cædibus & falsa doctrina.

Oppugnat precibus fidei Christi eos hostem,
 Qui sua ceu Christi regna colenda feret.
 Quas feret ipsa sub hac Ecclesia sancta ruinas,
 Quas feret, imo tulit, fert modo, disce, uide.

Cur adeo diuersus abis? cur tempore tanto
 Tam procul à nobis dextera facta tua est?
 Cur pater afflictos, & in affligentibus ipsos
 Deseris ærumnis, ceu latuisse uolens?
 Nam miser opprimitur cum præualet impius hostis,
 Hi faciunt quicquid proposuere sibi.
 Quin proprijs inuoluatur fallacibus hamis,
 Quosq; alijs studuit sæpe parare, dolis.
 Impius ipse sibi blanditur, & omnia iactat,
 Quæ se posse putat, muneris esse sui.
 Dumq; miser lucris inbians se laudat auarus:
 Blasphematur lingua uituperante Deum.

Παθητικόν.
 exordium.

Narratio, continens
 grauissimam accusatio-
 nem hostium
 Ecclesiæ.

Arrogans.

Auarus.

Blasphemus.

B 3 Donec

- Confidens.** Donec salua sui feret impius arma furoris,
 Quid precor est quod non arroget ipse sibi?
Securus. Vt ne parua quidem momenta uel unius horæ,
 Contribuenda ipsi cogitet esse Deo.
Verbi contemtor. Illi quæ faciet feliciter omnia cedent,
 At rata iusticiæ non uidet ulla tuæ.
Crudelis, Surget & aduersos uelut efferus ibit in hostes,
 Hostica uel solis conteret arma minis.
Securus. Nam sibi persuasit penitus se tempore nullo,
 Vllis oppressum posse perire nulis.
 Nec, quamuis grauibus, periturum cladibus ullis.
 Sed fore se saluum semper & incolumem.
Impia dogmata ferens. Execrabilibus loquitur plena omnia uerbis,
 Fraudibus innumeris perfida lingua tumet.
Sanguinarius. Collocat insidias per compita secta uiarum.
 Quosq; potest miseros excipit atq; necat.
Insidiator crudelis. Auxilio cassos oculis obseruat acutis,
 Et quacunq; potest parte nocere, nocet.
 Occultis qui prætereunt obseruat ab antris,
 Vt leo cui rabiem suasit acerba fames.
 Excipit incautos specie bonitatis, ut autem
 Ceperit, in laqueos & loca mortis agit.
 Opprimat insontes uiolenter, & omnia solis
 Viribus, & nulla relligione gerit.
Iterum obijcit securitatem. Hæc faciens nescire Deum putat omnia, secum.
 Namq; ait: auersas non uidet ista Deus.
Precatio. Surge iuuua pater, afflictos age respice, latam
 Esse tuam miseris sentiat hostis opem.
Ratio precatōnis sumta a scandalo quod inde oritur, si De. Cur Domino reprobis conuitia uana loquatur?
 Esse tibi curæ nec sua facta putet?

Nempe

Nempe uides, dolor, & curæ, sæuiq; labores,
 Atq; alia in manibus sunt sita cuncta tuis.
 Soli namq; tibi miserorum turba relicta est,
 Ex ope consistunt orbis & orba tua.
 Brachia uituperatoris confringe maligna,*
 Viribus creptis totus incermis erit.
 In scelera immanis patrata inquire tyranni,
 Iam facies horum non erit ulla super.
 Rex fuit, est, et erit Dominus Rex omne per æuum,*
 Ipsius è regno gens inimica cadet.
 Supplicia exaudis miserorum uota rogantum,
 His etenim patulis auribus esse soles.
 Ipsorum rege corda, tuis ut legibus apti,
 Inueniant placidum quem uoluere patrem.
 Ut duce te possint miseri subsistere, & ultra
 Impius in terra desinat esse minax.

us suos non in-
 uet. Fuit enim
 impij magis se-
 curi et blasphe-
 mant Deū. At-
 que hic iterum
 obserua, quo-
 modo in orati-
 one eo præci-
 pue spectandū
 est, non ut libe-
 remur solum,
 sed ut Deus in
 nostra liberati-
 one glorifice-
 tur, & homi-
 nes edificetur.

*
 Repetit præca-
 tionem.

*
 Promissiones.

PSALMVS XI.

In Domino confido quomodo.

ARGUMENTVM.

Est obiurgatio impiorum doctorum, qui
 a uera doctrina uerbi Dei ad humana som-
 nia, a fiducia misericordiæ Dei ad humana
 præsidia uocant: His minatur exitium, pijs
 autem promittit liberationem. Primi uersus
 alij hanc sententiam esse putant: Transmigra
 in montem sicut passer: q. d. Volunt me auo-
 care a monte Hierusalem, in quo Dominus,
 ad suos montes & carnalia præsidia.